UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochlæi De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Admonitio Ioannis Cochlaei, in indicem praecedentem librorum Martini Lutheri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

Visual Library

riali Vuormacia, die Octaua Menſis Maij, Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Viceſimo Primo Regnorum noſtrorum: Romani ſecundo: Cæterorum vero omnium Sexto.

FINIS EDICTI VVORMACIENSIS.

ADMONITIO IOANNIS Cochlæi, in indicem præcedentem librorum Martini Lutheri.

QVamuis multorum Lutheri opuſculorum in Actis commentio ſparſim facta ſit: tamen non omnium commode fieri potuit cōmemoratio. Vt igitur habeas generalem per compendium opuſculorum eius cognitionem, operæ precium fuerit, exhiberi tibi ipſius Indicem, quem ædidit anno Domini M.D.XXVIII. In quo cōmemorat ſcripta ſua nominatim & diſtincte, quotquot ædidit ab anno M.D.XVIII. vſque ad annum M.D.XXVIII incluſiue. Ex quo ſane indice coniicere licebit, quam grauis, durus, ferox, laborioſuſque ac vehemens ſit iſte Catholicæ Eccleſiæ Aduerſarius, impugnator & hoſtis. Qui tot exantlatis ſcribendo laboribus nō eſt defatigatus: Quin potius contentionibus tam multis ac diuturnis, maiores videtur recepiſſe ad conuitiandū ac maledicendū vires. In pleriſque enim ſcriptis, quæ poſt annum Domini M.D.XXVIII. permulta ædidit, multo amarulentiorem ferocioremque ſeſe exhibuit, quàm fecerat antea: Quemadmodum ex Actis & ſcriptis eius vnuſquiſque intelligere poteſt. Cæterum Numeri, qui poſt recitatos libros cernuntur appoſiti, non librorum, ſed annorum ſunt. Ex quibus intelligi debeat, quoto anno vnumquodque opuſculorū eius æditum fuerit ſecundum minoris numeri annorum à Natiuitate Chriſti ſeriem.